

rum c b ad c a, & b f ad e f. Quoniam utrorũq; sunt ratio nes sicuti dimetientis sphæræ ad subtensam duplo c b a an gulo, & quæ vni eædem sunt rationes, sibi inuicem sunt eæ- dem. Tribus iam igitur datis b f e f & c b datur quarta c a, & ipsum c a tertium latus trianguli a b c. Si iam a c la tus assumptum in datis, propositumq; sit inuenire a b & b c latera, cum reliquo angulo c, habebit rursum permu- tatim subtensa dupli c a ad subtensam dupli c b eandem rationem, quam subtendens duplum a b c angulum ad dimetientem, quibus c b latus datur & reliqua a d & b e ex quadrantibus circulorum. Ita rursus habebimus ut sub- tensam dupli a d ad subtensam dupli b e, sic subtensam du pli a b f, & est dimetiens, ad subtensam dupli b f. Datur ergo b f circumferentia, quodq; superest a b latus, Simili ratione ut in præcedentibus ex subtendentibus dupla b c, a b & f b e, datur subtensa dupli d e, siue angulus c reli- quus. Porro si b c fuerit in assumpto, dabitur rursus ut an- tea a c & reliquæ a d & b e, quibus per subtensas rectas lineas, & diametro, ut sæpe dictum, datur b f circum- ferentia & reliquũ a b latus, ac subinde iuxta p̄cedens Theo rema, per b c, a b, & c b e datas proditur e d circum- ferentia, angulus videlicet c reliquus, quem quærebamus. Sicq; rursus in triangulo a b c duobus angulis a & b, da tis, quorum a rectus existit cum aliquo trium laterum da- tus est angulus tertius cum reliquis duobus lateribus, quod erat demonstrandum.

V.

Trianguli datorum angulorũ, quorum aliquis rectus fue rit, dantur latera. Manente adhuc præcedente figura, vbi propter angulum e datum, datur d e circumferentia, & reliqua e f ex quadrante circuli. Et quoniam b e f est an gulus rectus, eo quod b e descendit à polo ipsius d e f, & qui sub e b f angulus, est ad uerticem dato. Triangulum igitur b e f rectum angulũ e habens, & insuper b datum cum latere e f, datorũ est angulorum & laterum per Theo rema præcedens, datur ergo b f, & reliqua ex quadrante a b, ac itidem in triangulo a b c reliqua latera a c & b c dari per præcedentia demonstratur. Si